

ipse sese a prædicatione recipere ad sancti Ignatii exercitia solebat, auctor fuit iis qui arctius Deo adhærere vellent, ut eo recederent, ibique, juxta leges ab ipso conditas, et a Clemente undecimo probatas, secreti a populo, asperiori vitæ genere uterentur.

R. Amavit eum.

LECTIO VI.

IDEM plura sodalitia Urbis excoluit, atque illud præcipue sanctissimi Cordis Jesu, quod est in sancti Theodori templo; in iis multa instituit, quibus in Christum atque in Deiparam honor mirifice est auctus. Horum dulcissima nomina in ore habebat semper, et tanquam præsidia certa salutis pro foribus domorum palam proponenda curabat. Passioni Dominicæ meditandæ studium propagavit, sacellis in amphitheatro Flavio ædificatis, ad quæ cruciatus Christi crucem ad Calvarium bajulantis recoleantur. Ab eo etiam perpetua Sacramenti Eucharistici adoratio præcipuis in Italiæ urbibus est constituta. His igitur aliisque admirandis virtutum meritis maturus cœlo, post-

quam et prophetiæ dono, et miraculorum virtute Deus sanctitatem servi sui confirmasset, cum tempus appropinquaret retributionis, ut Benedicto decimo quarto fidem præstaret, cui nusquam nisi Romæ se moriturum promiserat, ex prædicatione Bononiensi, ad quam ab eodem fuerat missus, in Urbem reversus, laboribus fractus, morbo tentari cœpit; quo cum deficeret, Ecclesiæ Sacris expiatus, postquam postrema salutis monita Fratribus suis dedisset, anno ætatis suæ quinto et septuagesimo sanctissime obdormivit in Domino, die vigesima sexta Novembris, in cœnobio sancti Bonaventuræ, ubi nunc ejus corpus colitur; eique Pius sextus, qui viventem magno honore habuerat, absoluto prius rite de virtutibus ac miraculis servi Dei iudicio, anno ab ejus obitu quadragesimo quinto, Beatorum honores, Officium et Missam decrevit. Pius autem nonus, Pontifex Maximus, festis sæcularibus Petri et Pauli Apostolorum Principum anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo solemni ritu adstantibus